

1591 periculis, assuetum tractandis armis corpus, gravissimisque curis animum assidua agitatione, modo oppugnationibus, modo obsidionibus, modo variis certaminum generibus exercebat. Noviodunum obsessum ditione receperat; mox, copiarum parte in Neustriam missa, Rothomagum aggressus, ni ab Hispanis succurreretur, eo potiri se posse; si subvenirent, prælio decernere sperabat. Eodem quoque tempore Lutetiam anteriori premi obsidione jubet, emunctaque e permissa commeatuum invectione ab oppidanis pecunia, militibus stipendia præbuit; dum Parmensis, Mansfeltio in Belgio relicto, cum quatuor peditum, trium equitum millibus, Italicarum cohortium ac Helvetiorum pontificiis subsidiis auctis, paucis itineribus anni exitu in Galliam iter haberet.

Parmensis Princeps denuo in Galliam ingreditur.

*Alphon-
fus Ferrare-
riae Dux
ducatus
trāsmittens
di faculta-
zem a Pon-
tif. baboro-
nitur.*

*Senatus
mandata ē
ad Joann
Maurum
apud Pen-
tif. crato-
rem.*

In Italia vero omnium Principum oculi in Alphonsum Ferrariae Ducem conjiciebantur; qui ditiones absque liberis, eo defuncto, in Ecclesiam concessuras ad suæ gentis posteros transmittendi spe ductus, Romam profectus fuerat; amplisque conditionibus propositis, voti compotem se fieri posse arbitrabatur. Nam Pii ac Xysti V. diplomata obstabant, quibus feuda, extinctis legitimis heredibus, nemini tribui, sed in pontificias ditiones referri cavebatur; ad eaque servanda Purpurati se jurejurando obstrinxerant. Verumtamen Gregorii Summi Pontificis necessitudine atque amicitia, multorum Cardinalium gratia, Principumque studiis nitebatur; Senatusque, enixe Ferrariensi flagitante, Joanni Mauro, Baduario oratori suffetto, ut omni officiorum genere ei faveret, eaque in re cunctos ingenii nervos intenderet, mandaverat. Alphonsum maxima pompa urbem ingressum Pontifex propriis ædibus, una cum comitatu exceptum, Helvetiorum custodia attributa, liberaliter habuit. Negotium septemdecim Cardinalibus examinandum dedit; quibus præceptum, expenderent, an Pii V. Pontificis Maximi diploma impedimento esset, quo minus Pontifex nondum ad Ecclesiam devolutum feudum, utilitatis ac necessitatis ratione, in alios transmittere valeret. Plerique Purpuratorum atque Rotæ (ut ajunt) Auditorum, id minime ordinario jure, sed tantum ex plenissima ac suprema facultate fieri posse affirmarunt. Quapropter ab aliqua ineunda ratione, qua satisfieri Duci posset, Gregorius non abhorrebat; multique ex Cardinalium col-